

actore ageretur, Aeschylus non solum viam ad ipsam perfectionem tragœdiae aperuit cum alterum adiiceret actorem et diverbum inveniret, sed ut Phidias simulacra ex auro eboreque finxit, in quibus cum summa formarum maiestate praeclara inerat pulchritudo, ita ille tragœdias scripsit et argumenti dignitate insignes et dicendi gravitate cum summa venustate coniuncta. Quam eximiam poetae artem iam in Persarum fabula manifestam esse et perspicuam quis est quem fugere possit?

2. Cuius tragœdiae chorus ex duodecim Persarum senibus constitutus erat, in nobilissimo loco natis, ad quos Xerxes, cum in Graeciam abiret, regnum administrandum detulerat. Dramatis autem personæ ita duobus actoribus impositae erant, ut protagonistes nuntium et Dareum ageret, deuteragonistes Atossam et Xerxem. Fabula Susis acta est ante regiam, quam scaena monstrabat. Ex media porta qua aditus in regiam patebat Atossa prodiit in proscaenium, cuius in dextra parte tumulus Darei fuit. Umbram autem Darei per ianuam pensilem (*ἀναπίεσμα*) in summum tumulum machina aliqua subito sublatam eodemque modo ex oculis spectantium ad ea quae infra erant abstractam esse veri simile est.<sup>8)</sup> Per dextrum ostium chorus in orchestram escendit; ab laeva parte nuntius et Xerxes in scaenam progressi sunt. Ubi fabula peracta est, Xerxes, quem chorus subsequebatur, per medium portam in regiam processit.

3. Constat Persarum fabulam, cum prius Athenis in scaenam delata esset, iterum Syracusis actam esse (*ἀνεδιδάχθη*), quam in urbem ab Hierone, et artificum et poeta-

<sup>8)</sup> Pers. v. 841 ἐγὼ δ' ἀπειμι γῆς ὑπὸ ζόφον χάτω. schol. A. ad v. 681 τὸ τοῦ Δαρείου εἰδωλον ἐξ Αἰδου ἀνελθόν φησι πρὸς τοὺς Πέρσας — I. Sommerbrodtii de Aeschyli re scenica, P. I pag. XIX. XXXI. XXXVIII. XXXIX. Liegn. 1848.